



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 79. An complementa sint mendacia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

quia quando dicunt sibi pluris constare, scimus, quod non intelligent nudè pretium rei emptæ, sed etiam computent, partim expensas, v. g. vecturæ aliásque, partim proportionalem partem sumptuarii, quos toto anno faciunt in suam communem negotiationem, hæc enim justè possunt venire nomine pretii, quo res ipsis constat, ita Gob. T. II. n. 672. Quod si locutiones eorum non essent in hoc sensu veræ, mentirentur; & si jurarent, pejerarent.

302 Q. 79. *An complementa sint mendacia, v. g. si quis dicat, sum indignus, infirmus, servus &c. &c. Licet complementa ab aliquibus vocentur completa mendacia, tamen mendacia non sunt, quia omnes sciunt, quod per ejusmodi formulas loquendi non intendamus strictum sensum, quem verba præferunt, sed tantum velimus honorem exhibere, vel affectum ostendere illi, ad quem diriguntur, unde si animus honorandi vel affectus aliquis adsit, erunt signa concordantia cum mente: itaque audiendus non est ille Casista, qui ante aliquot annos in publicis Thesibus Leodii dixit eum committere idolatriam, qui literis suis subscribit, *Sum servus ex toto corde*, eo quod soli Deo debeatur cor totum, nam illa verba inter homines significant solam debitam propensionem animi: quod si quis diceret verba complementorum, & non intenderet honorem exhibere vel affectum seu propensionem ostendere, probabilius est fore mendacium; excusari tamen posse putat Gob. n. 670, quia scimus sic loquentes nolle sibi credi, uti nec volunt sibi credi Poëtæ narrantes fabulas: deinde etiam nein potest hæc assertivæ & ex animo dici, sed tantum veluti modos loquendi ad urbaniter*

con-

conversandum, vel ad pascendas alterius aures,  
ideoque videntur à mendacio excusari posse.

## D U B I U M V.

*Quæc quanta sit obligatio  
juramenti promissorii.*

**R**EF. In Juramento promissorio duæ affir-<sup>cc</sup> 303  
mantur veritates; una de præsenti primaria,<sup>cc</sup>  
quod scilicet jurans habeat animum <sup>cc</sup>  
implendi, quod promittit: altera secundaria <sup>cc</sup>  
de futuro, quod scilicet impleturus sit suo tem-<sup>cc</sup>  
pore, quod promittit; sive promittat Deo, &<sup>cc</sup>  
est votum cum Juramento, sive homini, &<sup>cc</sup>  
est jurata promissio humana: unde oritur <sup>cc</sup>  
obligatio implendi, si rationabiliter possit.<sup>cc</sup>  
Ita communiter DD. V. Laym. L. 4. T. 3. c. 6. Bon. T. 2. cc  
d. 4. q. 1. p. 7. Unde resolvēs,

I. Defectu primæ veritatis jurans verè pejerat <sup>cc</sup>  
mortaliiter, si vel non habet animum implendi,<sup>cc</sup>  
sive materia sit parva sive magna; licita sive <sup>cc</sup>  
illicita: vel si dubitat, an facturus sit nec ne, quod <sup>cc</sup>  
jurat; vel si putet sibi moraliter impossibile,<sup>cc</sup>  
ut impleat, quod promittit: quia quoad istam <sup>cc</sup>  
veritatem præsentem, promissorium ab asser-<sup>cc</sup>  
torio non differt: unde nec parvitas materiæ <sup>cc</sup>  
excusat. *Ibidem.*

II. Defectu secundæ veritatis verè pejerat is,<sup>cc</sup>  
qui, quod promisit, postea non implet, si rationa-<sup>cc</sup>  
biliter implere potest. Id solùm hic dubitatur,<sup>cc</sup>  
an qui promisit rem exiguum cum Juramento,<sup>cc</sup>  
ut v. g. dare alteri unum pomum, vel nummum <sup>cc</sup>  
pro eleemosyna, vel castigare prolem, vel <sup>cc</sup>  
inter